

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis XVII. Articulus duodecimus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CATECHESIS XVII.

ARTICULUS DUODECIMUS.

Et vitam æternam. Amen. S. Matthias.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid duodecimus innuit Articulus?
2. An certò post hanc vita erit æterna?
3. Qualis erit vita æterna Iustorum in cælo?
4. Qui consequentur illam?
5. Qualis erit vitam æterna reproborum in gehenna?
6. Quinam ad ignem relegantur?

MISCELLANEA

Num omnes Beati in gloria erunt æquales?

An omnibus dantur media ad vitam æternam?

Quid vox, Amen?

Quæstio Prima: Quid duodecimus innuit Articulus?

R. Esse post hanc temporalem insuper æternam vitam, Iustorum in cælo, reproborum in tartaro.

Hem, quantum principale habitantium in Ecclesia privilegium, beatam videlicet, & æternam in cælis vitam, utpote ad quam ex sola Ecclesia Catholica fiat ingressus.

Credi-

Q. h
Quid
duodeci-
mus do-
cet arti-
culus?

Vitam æ-
ternam.

Credimus enim hîc Charissimi, & confitemur, prolatâ finali illâ & tremendâ Judicis sententiâ, bonos Cœlum cum Angelis & Christo petituros, malos in gehennam ignis cum Dæmonibus mittendos & æternum arduos, quorum alteruter finis est omnium.

Optanda tamen vita beata, propter quam cætera sunt omnia, ad quam tota tendit fides, tota excurrit spes nostra, propter quam omnia agimus, quæ agimus, sine qua miserabiliores essemus omnibus, hominibus. 1. Cor. 15. 19. Unde & hic articulus ab Apostolis ultimo est dictatus loco, ut semper ante oculos nobis versaretur, ideoque creditu & scitu summè necessarius. Utilissimus quoque ad excitandum animum applicandi media quæcunque possibilia fini huic opportuna; maximè dum attentissimè & timorâte oramus in symbolo: Credo vitam æternam. Sed pro rudibus

Q. II.
An certò
post hanc
erit vita
alia?

Quæstio Secunda: Adeoque certò post hanc vita erit æterna?

R. Tam certò, quàm certò in hunc mundum nati sumus, vivimus, & moriemur.

Ubique gentium, & omni ævo credita fuit vita altera & æterna. Immortalitas quoque animæ, quam prudenter ex ejusdem proprietatibus animæ colligebant.

Pauci

Cat. 2.

Pauci
inter
ris c
sing
norifi
staba
ipfis
quali
rer, i
quam
cio. E
Creat
lem.
terire
victur
his, q
labun
probi
quippe
perpe
perpe
lueren
cuère
aman
stus,
nend
gemi
Qu
vita in
R.

Pauci inventi, qui corpus & animam unâ
interire judicabant, sed ab omnibus erro-
ris condemnabantur. Unde & mortuos
singulari semper pompâ, & sepulchris ho-
nificentissimis inferebant, quo ipso re-
stabantur, amicos, qui corporaliter ab
ipsis discessere, in altero vivere mundo;
qualis tamen mundus, & qualis vita fo-
rer, ignorabant miseri, ignorabant, in-
quam, propriâ culpâ, & justo Dei judi-
cio. Est igitur irrefragabiliter vita æterna.
Creavit Deus hominem inexterminabi-
lem, Sap. 2. v. 23. Id est, qui non possit in-
terire, & in nihilum redigi, sed necessariò
victurum benè aut malè, æternaliter. De
his, qui dormiunt in terræ pulvere, vigi-
labunt alij in vitam æternam, alij in op-
probrium. Dan. 12. v. 2. Consentaneum
quippe divinæ videtur justitiæ, ut boni
perpetuò Deo serviuri vitâ perfruantur
perpetuâ, mali semper mala acturi pœnas
luerent sempiternas. Vitam alteram do-
cuere Prophetæ: docuit præcipuè ipse
amanrissimus salvator noster Jesus Chri-
stus, cujus etiam respectu omnia contem-
nenda, deferenda, conculcanda non sine
gemitu crebrius inculcavit.

Quæstio Tertia. Qualis ergò erit Justorum Q. III.
vita in Cælo ? Qualis erit vita

4. Erit gaudio plena ineffabili tam in corpore Beato-
quàm rum?

quàm anima. quod proveniet ex visione & amore Dei, erit quòque aterna.

Duplicia erunt illius vitæ bona; impræmis essentialia, id est, fructio Dei consistens in perfecta cognitione seu visione & amore Dei. Deinde accidentalia à quatuor doctibus, à circumstantiis loci Sociorum, &c. orta, aliaque innumera & tanta; quanta nec auris audivit, &c. 1. Cor. 2. v. 9. Ubi mille anni erunt, sicut dies una. Psal. 39. v. 4. Quæ attigi sup. Cat. præm. 1. q. 1. Et ageatur Cat. de quatuor novissimis. Et quod caput, inamissibilis erit, æternaliterque durabit hæc vita, quandiu videlicet DEUS durabit, post exactos centum miliones annorum vita Beatorum nec momento diminuta est, aut fini propior; sed semper manet infinitæ durationis.

An omnes Beati erunt æquales?

Sed num omnes Beati erunt in gloria æquales?

Non erunt, sed quisque pro vitæ merito; alio claritas solis, alia stellarum. 1. Cor. 15. v. 41. In Domo Patris mei mansiones multæ. Joan. 14. v. 2. Qui parvè seminat, parvè & metet 1. Cor. 9. v. 6. Sicut mali non sunt in pœna æquales, sic nec boni in præmio; quia in hac vita est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo alius alium hinc meri-

to superat, illic alijs alium retributione
transcendet. Greg. mor. l. 4. c. 31.

Quæstio Quarta: Qui consequentur illam?

Q. IV.

Ecqui

conle-

quentur

illam?

R. Qui in vera Catholica fide, & bonorum
operum exercitijs ad mortem usque perseverant:
seu quod idem est, quicunque utuntur medijs ad
illam consequendam præscriptis.

Ita nimirum DEI voluntas est, hanc
legem posuit Cæli & Terræ, hominū-
que Conditor, qui tali modo voluit nos me-
ritorum Christi fieri participes, uti sup. Cat.
1. præm. q. 2. dixi.

Sed an omnibus sufficientia dantur
ejusmodi media?

An omnia
bus

sufficien-

tia dan-

tur me-

dia? &c.

Omnino omnibus, quia pro omnibus
passus est Christus, pro omnibus sanctissi-
ma instituit Sacramenta, omnibus actua-
lia confert auxilia, monendo, dehortan-
do, suadendo, &c. Dummodo gratiæ
non desimus nolendo, nec cooperando,
aut per peccata ejus effectus impediendo,
sicut defecit Judas, Saul, Manasses, &
alii. Quare hoc unum curæ nostræ sit,
ut manus operi admoveamus, & dum
tempus habemus, operemur bonum. Gal.
1. v. 10. Respectu videlicet vitæ æternæ
& remunerationis perpetuæ. Heb. 11. v. 26.

Q. V.

Qualis

vita re-

probato-

rum,

Quæstio Quinta: Qualis erit vita repro-
borum in gehenna?

R. Infelix,

In devoranti & tenebricoso igne, in horribili foetore, inextinguibili fame & siti: in terribilium larvarum & dæmonum aspectu: inter fletus, & stridorem dentium sempiternum, &c. Sicut vita æterna est bonorum omnium affluentia, ita damnatio infernalis est omnium dolorum & afflictionum colluvies, de quo fusiùs *inf. Cat. de quatuor novissimis.*

Quæstio Sexta: *Quinam ad ignem relegantur?*

R. Quicunque in peccato lethali moriuntur.

Unicum peccatum mortale tantæ est malitiæ, ut hominem omnibus Christi meritis, & æterno priver bono, atque econtrà æternis addicat pœnis, &c. Post vitam, licet innocenter & in multa abstinentia transactam, post patrata etiam miracula: de quo fusiùs *infra cap. 5. Cat. 1. de peccato.*

Q. VI.
Quinam
cō relegantur?

Quid est Amen in fine Symboli additum? Idem quod, Credo verissima, quæ confessus sum hætenus, petoque eadem obtinere, &c.

RECAPITULATIO.

HÆc de Articulo duodecimo summa est (1.) Docet hic Articulus post miseram hanc & temporalem vitam subseq̃ui æternam, (2.) Idque indubitanter & inevitabilem.

inevitabiliter. (3.) Er t autem vita iusto-
rum in Cœlis beatissima, &c. Nec om-
nium æqualis, sed meritis proportionata.
(4.) Ad cuius consecutionem opus est fi-
de Catholicâ, usûque præscriptorum me-
diorum, quæ nemini desunt. (5.) Vita re-
probiorum erit cruciatibus plenissima in
tartaro. (6.) Quæ peccati stipendium est.
Hæc omnia nos credere testamur verbo,
Amen.

EXHORTATIO.

DISCIMUS hîc Charissimi primò contem-
nere omnia brevissimæ hujus vitæ de-
lectabilia, celi temporanea & vana. Va-
nitas vanitarum & omnia vanitas. *Ecc. 1.*
7. 2. Verè momentaneum quod delectat,
& vanum. Quid quod ipsæ voluptates
annexam semper habent tristitiam? quia
appetuntur, ut medicina contra dolo-
res, potus contra sitim, esca contra fa-
mem, &c. Ablato dolore molesta fit om-
nis voluptas, quæ ne sit nimium mole-
sta, mutatione aliquo modo redditur tole-
rabilis.

DISCIMUS
1. con-
temnere
terrena, &
tempora-
nea, &c.

DISCIMUS secundò, econtrà vitam æter-
nam, verum & æternum bonum omni
concupiscentiâ spirituali desiderare, il-
lus spe consolari nos in omni tribulatio-
ne, in ipsa quoque morte tam nostra,
O 2

2. Deside-
rare æter-
na.

quàm

quàm eorum, qui nobis necessitate conjuncti sunt, certi, quòd ad vitam transeamus meliorem & æternam, &c.

3. Pro vita æterna agere & pati fortia.

Discimus tertio pro hac ipsa vita æterna, agere & pati fortia; tolerare labores, opprobria, eaque omnia, quæ ad ejus certam faciunt consecutionem, quæque bonos decet Dei filios; si enim filij & hæredes. *Rom. 8. v. 27.* Animos ut dixi adder, si cum Moyse aspiciamus semper in remunerationem. *Heb. 11. 26.* Quid mihi est in Cœlo? Deus cordi mei, & pars mea Deus in æternum. *Psal. 72. v. 25.*

4. Fugere peccata.

Discimus quarto denique, omni studio fugere peccata, comprimere passiones, quæ iram Dei & mortem asserunt perennem: Ibunt hi in supplicium æternum. *Matth. 25. v. 46.* Sed quis de nobis Charissimi poterit habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Is. 33. v. 14.* Si ad unius culicis aut apiculæ aculeum suspiras, si unicus dens vitiosus somnum tibi difficilem reddit, lachrymas ciet, &c. Quid senties super carbones expansus, & flammis involutus infernalibus? Quicunque ergò peccatorum conscij recurramus ad alteram post naufragium tabulam, ad Pœnitentiæ Sacramentum, & cordialem contritionem,

præ-

Cat. XVII Art. XII Et vitam æter. &c. 581

præcipue dum oramus : Credo Vitam æternam, Amen.

HÆRETICI.

Vitam æternam negârunt Gentilium quidam, & nonnulli inter Christianos Athei, de quibus *Sup. Art. primo.* Unde, Vitam æternam negant Athei.

Objc. Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. *Eccles. 3. v. 19.*

&. Per id insinuari, non minus mori homines, quam jumenta. Sed æquè, &c.

Objc. Mortui nihil noverunt amplius *Ecc. 9. v. 5.*

&. Loquitur de mortuis, qui non egere pœnitentiam; nihil enim amplius noverunt, quo se juvent.

Æternitatem damnationis negavit Origenes, post mille annos redemptoinem asserens. *Ex Apoc. 20. v. 7.*

Sed contra est. *Matth. 25. v. 26.* Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Æternitatem damnationum negavit Origenes.

Objc. Anima Trajani refertur à S. Gregorio inferno liberata.

&. Refertur, se dfabulosè. *Bell. l. 2. de Purg. c. 8.*

Post judi-
cium mo-
dò gene-
rale r.
choandā
Beatitudi-
nem do-
cuit Cal-
vinus.

Sanctos nondum videre Dei essentiam,
visuros modò post generale Judicium do-
cuit Calvinus 3. *Instit. c. 20. & 25.* Et Lu-
therus *prælect. in Gen.*

Sed Catholica veritas est, quòd jam
clare Deum videant: Hodie mecum eris
in Paradiso. *Luc. 32. v. 43.* Domine Jesu
suscipe spiritum meum. *Act. 7. v. 25. 2. Cor.*
5. v. 1. Ita & Patres *apud. Bell. l. 1. de Beat.*
SS. Et Ratio est, quia impedimentum,
quod erat in veteri Testamento, per mor-
tem Christi sublatum est.

Obijc. Redditur omnibus simul merces
ad Vesperam. *Matth. 29. v. 8.*

R. Mercedem consummatam corporis
& animæ; secundum quàm explicanda,
si quæ videntur contraria.

Obijc. Joannes vidit animas interfecto-
rum subtrus Altare, donec compleantur
conservieorum. *Apoc. 6. v. 9.*

R. Ergo non fuerunt beatæ? nego
consequentiam; in illa enim visione ad-
fuerunt corporibus & loco, ubi passa &
sepulta erant, ut pro iisdem justam vin-
dictam peterent, nè tyranni ulterius in
DEI servos sævirent.

Beatos
esse æqua-
les in glo-
ria, do-
cuit Jovi-
nia-
nus, &c.

Jovinianus & moderni Novatores
docuere, omnes Beatos esse ejusdem glo-
riæ, convenienter suo principio, quo pu-
rant,

Cat. XVII. Art. XII. Et vitam æternam. &c. 583

tant, omnes esse justos Justitiâ Christi, extrinsecus illis imputatâ.

Sed non esse æquales probatur ex textibus *Sup. Citt.* Et, quia mali non sunt omnes æquales in pœna. *Sap. 6. v. 7.* Ergo nec boni in præmio.

Objic. Omnibus æqualis datur denarius. *Matth. 20. v. 10.*

ꝯ. Æqualis specie non gradu, æqualis propter laboris per horam illam fervorem.

HISTORIÆ.

Veritatem
vitæ æ-

Michaël Mercatus nobilis, artiũmque peritissimus Italus, cum amico suo Marsilio frequenter de veritate & qualitate futuræ vitæ differebant, an aliquid post obitum superfit homini ex Platonis sententia? Aliquando cùm longius progressa esset disputatio, tandem fit pactum, ut qui prior è vivis excederet, alterum de vitæ statu certiore redderet. Paula post summo mane audit Michaël cursum equi, ad portam ædium suarum, vocemque: O Michaël! O Michaël! vera, vera sunt illa. Ad vocem amici mox surgens Michaël, fenestrâque aperiens vidit candido equo candidarum, cursu concito difflugentem, inclamansque: Marsili, Marsili.

fili. Præterea addere nil licuit. Eadem autem horâ Marfilium Florentiæ defunctum fuisse deprehensum est. *Baron. Tom. 5.*

Anno 411.

Assuerus

Assuerus grande fecit convivium, &c. ut ostenderet divitias gloriæ Regni sui *Esth. 1. 2. 4.* Ita Deus decrevit celeberrimum instituere convivium per omnem æternitatem, ut ostenderet in illo immensitatem Bonitatis, sapientiæ, liberalitatis & Majestatis suæ, &c.

S. Petrus de Alc.

S. Petrus de Alcantara, à morte apparens S. Theresiæ dixit: O felix poenitentia! quæ tantam promeruit mihi gloriam. *Brev. 19. Oct.*

S. Joan. Chrysostr.

S. Joannes Chrysostr. exul cum per Armeniam duceretur, sanctus Basiliscus Mart. in cujus templo antè oraverat, noctu sic eum affatus est: Joannes frater, crastinus dies nos loco conjunget. *Brev. 27. Januarij.*

De monacho ab avicula in sylvis 300. annis retento vide *infra cap. 5. Cat. de quatuor novissimis.*

